



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

20. An Palatia Episcoporum extra eorum Diöcesim gaudeant Immunitate?  
Et an Palatia Cardinalium extra Urbem existentium dicta Immunitate  
gaudeant? Et an Palatia Episcoporum etiam sine Capellæ, & ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

celebrato anno 1515. & absolute loquitur: nec distinguit, si Palatium Episcopi situm sit intra spatium quadraginta passuum, necne. Ergo absolute dicendum domos Episcoporum, in quocumque loco sita sint, gaudere Ecclesiarum immunitate.

3. Primò; quia, vt dictum est, expresse & sine vlla limitatione in *suprà citato cap. id constitutum*, conceditur domui Episcopali hoc priuilegium, igitur non est limitandum, cum fauorabile sit & pium.

4. Secundo; quia si intra quadraginta passus deberet domus Episcopalis existere, vt hoc priuilegio gaudere, nulla ei specialis prerogatiua conceditur, quæ non concedatur cuilibet alteri domui Ecclesie, vel Cononicorum ibi esistenti, vt *suprà dictum est*, cum iis omnibus in probabilissima sententia hoc priuilegium concessum sit.

Supra que hic est Ref. 7. Signanter §. Recte. & in Ref. 1. post seq.

5. Tertio; quia tale priuilegium non conceditur, quia ipsa domus Episcopi deputata sit diuinis officiis; nulla enim talis est; neque quia Ecclesie adheret, tanquam aliquid illius, aliàs ceteris domibus hoc esset priuilegium concedendum; sed conceditur in reuerentiam & decorem dignitatis Episcopalis, quæ est maxima dignitas in Ecclesia. Et ita tenent hanc sententiam Abbas, Archidiaconus, Ioannes Andreas, Zabarella, & alij quos citat, & sequitur Farinacius de *immunit. cap. 17. num. 273.* quibus adde Perficum de *offic. Sacerd. lib. 1. cap. 9. dub. 11. num. 97.* Fagundez *part. 2. lib. 4. cap. 4. num. 60.* Quæ quidem sententia procedit, etiam si palatium Episcopi non habeat oratorium pro celebratione Missæ, vt inter alios obseruat Garbacurra *lib. 4. cap. 3. num. 7.* & ex Archidiacono Farinacius *vbi supra*, & alij penes me ipsum in *part. 1. tract. 1. resol. 27.* & me citato Ciarlinus *controuers. Forens. cap. 116. num. 14.* Giubba *const. 10. num. 13.* Quod euidenter patet ex rationibus superius adductis; & hoc priuilegio gaudere domum Episcopi; etiam si sit absens vel mortuus, optimè docet Italia *lib. 1. cap. 4. §. 9. num. 4. & 13.* vbi ampliat etiam in domo Episcopi, quando in visitatione per suam Diocesim transcurrit. Quod etiam docet & sequitur Farinacius *vbi supra*, *num. 270.* quicquid male in contrarium asserat Peregrinus de *immunitat. cap. 4. n. 79.*

Que hic est supra Ref. 17. & in aliis eius not.

Sup. his in fine præcedit Ref. & infra in tract. 7. Ref. 49. §. Tunc à simili, & in tom. 4. tra. 2. Ref. 7. in tribus eius prius lin. & ad medium §. VI.

6. Restat modò respondere ad ea, quæ pro sua sententia adducit Sarpus; nempe à Sacris Canonibus impostum esse Episcopo habere domum proximam, & adhaerentem Ecclesie. Respondeo primò his temporibus hoc non esse verum, vt patet in Cæremionali Romano edito à Clemente VIII. *cap. 2.* vbi supponitur Episcopum posse habere domum in loco distanti ab Ecclesia. Adde quia illa iura præcis temporibus fuerunt publicata, quando Clerici habitabant vnà cum ipsomet Episcopo; & idè illa iura præcipiunt, quod domus Episcopi non debet abesse ab Ecclesia maiori; sed quia nostris temporibus Clerici dispersim habitant quisque per se ipsum; idè nihil refert, an domus Episcopi absit ab ipsa Ecclesia. Ita Italia *lib. 1. cap. 4. §. 9. n. 1.*

7. Vel etiam secundo respondeo hoc argumentum non conuincere; quia non quicquid sit contrarium, tollit immunitatem à iure concessam. Ita Bonacina *tom. 2. disp. 3. quæst. 7. punct. 4. num. 11.* & Caltrus Palaus *tom. 2. tract. 13. disputat. vnic. punct. 6. n. 12. in fine.* Sed quia post hæc scripta quæstio incidit inter viros doctos, quid dicendum sit de Palatio Episcopi Titularis, & quid de Palatio Episcopi extra suam Diocesim commorantis, non grauabor hic ea, quæ nunc meditatus sum apponere. Ideo quæro,

## RESOL. XX.

An palatia Episcoporum extra eorum Diocesim gaudeant Immunitate?

Et an palatia Cardinalium extra Urbem existentium dicta Immunitate gaudeant?

Et an Palatia Episcoporum etiam sine capella, & distantia ab Ecclesia extra 40. passus gaudeant Immunitate. Ex part. 4. tract. 1. Refol. 40.

§. 1. Satis firmatum est in *part. 1. tract. 1. resol. 27.* Quæ hic est supra Ref. 17. & in aliis eius not. Palatia Episcoporum etiam sine Capella, & distantia ab Ecclesiis extra 40. passus gaudere immunitate, quod etiam docet Acugna in *decret. Gratiani part. 1. dist. 87. cap. 2. num. 2.* Correa *relect. de immunit. part. 2. num. 19.* & Alzedus in *prax. Episc. part. 1. cap. 12. num. 77.* vt melius patet infra.

2. Sed difficultas est, an dicta immunitate gaudeant palatia Episcopi extra diocesim? & negatiue respondit Peregrinus de *immunit. cap. 4. num. 73.* Marius Italia *lib. 1. cap. 4. §. 9. num. 19.* & Antonius de Marinis *quotidian. resoluit. cap. 180. num. 12.* Ratio est, quia Episcopus extra suam diocesim nullam habet authoritatem, nec Pontificalia exercere potest.

Sup. hoc supra in Ref. 16. §. Ad secundum argumentum, quod Palatium.

3. Verum contraria sententia potest suaderi, quia Concilium Aurelianense in *cap. id constitutum*, 17. *quæst. 4.* indistinctè asserit palatium Episcopi gaudere immunitate, neque hoc coarctat in eius diocesim; & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Adde quod cum agatur de re fauorabili, vt in simili casu notat Geruonius de *favor. immunit. lib. 3. cap. 16. num. 49.* fauor extendi debet. Deinde, vt obseruat Garbacurra *lib. 4. cap. 3. num. 7.* hæc immunitas concessa est loco, ratione personæ Episcopalis, propter sanctitatem muneris, & dignitatis; & ideo, vt diximus, palatium Episcopi gaudet immunitate, etiam sine Capella, & etiam extra quadraginta passus Ecclesie. Ergo in quacumque parte fuerit Episcopus, ratione eius personæ, cuius intuitu concessum fuit hoc priuilegium, gaudere debet immunitate eius palatium. Nec valet argumentum Peregrini; nam licet Episcopus in aliena diocesim non possit exercere Pontificalia, attamen dignitas eius personæ, etiam in tali loco, magnam habet reuerentiam & authoritatem. Vnde Episcopus alium Episcopum in sua diocesim debet valde honorare, & particularem reuerentiam exhibere, & in loco eminentiori, & in propria sede collocare, etiam si qui suscipit, Cardinalis sit, & qui suscipitur, non; vt habetur in *cap. Episcopi 7. quæst. 1.* & docet Mauricius Alzedus in *praxi Episcop. part. 1. cap. 6. num. 11.* vbi citat Chassaneum, & Zerolam.

4. Sed his non obstantibus, an hæc opinio sit probabilis, alijs iudicandum relinquo; certum tamen apud me est, palatia Cardinalium extra Urbem existentium dicta immunitate gaudere, vt tenet Antonius de Marinis *loco cit.* Marius Italia *lib. 1. cap. 4. §. 9. num. 22. & 23.* quicquid in contrarium asserat nouissime Caltrus Palaus *tom. 2. disp. vnic. de immunit. Eccles. punct. 6. num. 23.*

Sup. hoc supra in Ref. 14. 15. & 16. §. Secundo Palatia, & infra in tr. 3. Ref. 10. §. Ad id. alin. 6.

## RESOL. XXI.

An domus Parochorum, Cononicorum, & aliorum Ecclesiasticorum existentes prope vriginta passus Ecclesie, gaudeant eius Immunitate, etiam si habitentur à laicis?

Et